

*Calixt III. an B. Leonhard (Wiesmair) von Chur (Breve). Er zeigt sich bestürzt über die versuchten Angriffe Hz. Sigismunds auf NvK und fordert Leonhard unter Androhung schwerer Kirchenstrafen auf, NvK nach Kräften zu beschützen.*

Kopie (gleichzeitig): BOZEN, StaA, Regestum Cusanum (ebenfalls INNSBRUCK, TLA, Cod. 5672) p. 16; (ca. 1460): ebd., Codex Handlung (ebenfalls INNSBRUCK, TLA, Cod. 5911) f. 18<sup>v</sup>-19<sup>v</sup>; (J. Resch, 18. Jb.); BRIXEN, Priesterseminar, Ms. D 11 p. 117f.

Druck: Baum, Leonhard Wiesmair 441f. (mit Datum 23. August 1457); Baum/Senoner, Briefe und Dokumente II 308-312.

Deutsche Übersetzung: Baum/Senoner, Briefe und Dokumente II 309-313.

Regest: LICHNOWSKY, Geschichte des Hauses Habsburg VII Nr. 2237b (mit Datum 31. August 1457); JÄGER, Regesten I 310 Nr. 136; JÄGER, Regesten Chur 361.

Erw.: SINNACHER, Beyträge VI 440f.; JÄGER, Streit I 228f.; VANSTEENBERGHE, Cardinal 181 Anm. 7; BAUM, Nikolaus Cusanus in Tirol 366; Baum, Leonhard Wiesmair 43ff. (alle mit Datum 23. August 1457).

Calixtus servus servorum dei venerabili fratri nostro Leonardo episcopo Curiensi salutem et apostolicam benedictionem. Nescimus dolendus magis sit an admirandus insolitus casus ad nos non solum litteris et nunciis, sed etiam rumore ipso perlatus, qui nuper dilecto filio nostro Nicolao tituli sancti Petri ad vincula presbitero cardinali fertur accedit. Talis certe est, ut communi omnium reprehensione sit detestandus, nobis tantum misticie intulit, quantum virtus sua excellens et labores suscepti pro sancta Romana ecclesia fideque catholica promerentur. Hunc enim virum, cum propter ecclesiam suam Brixinensem constanter defensam et factas quorundam malorum delaciones, quibus bone etiam mentes persepe falluntur, nobilis vir Sigismundus dux Austrie occulto odio insequeretur molestaque ei erant studia circumspectionis sue ad adimplenda mandata apostolica tenendamque ecclesiasticam libertatem spectancia. Tandem humanis litteris et pollicitacionibus multis ad se vocatum ambulantemque in fide recta, cum in monasterio propinquo<sup>1)</sup> consedisset, immemor promissionum suarum et litterarum protectionis, quas eidem cardinali ad dies vite sue concesserat<sup>2)</sup>, noctu et manu armata conatus est illum invadere et etiam per vias publicas plures eidem posuit insidias, comprehensionem eius aut necem manifeste querens. Deo tamen protegente, qui maligna consilia dissipat, perniciosi conatus locum non habuerunt: evasit occulti hostis insidias seque in munitione<sup>3)</sup> ecclesie suo dominio Venetorum propin- 15 quam recepit, ubi, sicut accepimus, adhuc non sine timore se continet. Credimus fraternitatem tuam hoc detestare et indigna illo putare, non solum, qui Christianum aliquid sapiat, sed pre se ferat nomen ducale.

Qua ex re movemus et hortamur ac in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis late sentencie pena districte precipiendo mandamus, ut eidem cardinali et ecclesie sue ac eius subditis posse- 20 tenus contra tales tirannidem assistens, non sinas sibi et subditis suis a dicto duce vel aliis quicquam violencie contra iusticiam inferri, sed eum ac suos iuxta vires tuas protegas et defendas et in omni necessitate eidem subvenias, sic facturus, ne excommunicacionis sententiam per nos latam et alias iuris penas etiam per felicis recordacionis Bonifacium papam viii predecessorem nostrum in tales promulga- 25 tis<sup>4)</sup> incurrisse videaris, sed magis exinde tua devocio erga nos commendari valeat, nam nullam huiusmodi iniuriam ab offensione nostra seiunctam putamus. Denique venerabiles fratres nostros sancte Romane ecclesie cardinales, quos hec cura pariter tangit, ad te amandum promptiores efficias. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadragesimo quinquagesimo septimo no(no) kalendas septembbris pontificatus nostri anno tertio.

Venerabili fratri nostro Leonardo episcopo Curiensi

1) Das Prämonstratenserkloster Wilten bei Innsbruck; s.o. Nr. 5279.

2) Der Beistandspakt vom 13. Januar 1454; s.o. Nr. 3788f.

3) Burg Buchenstein.

4) Gemeint ist die Dekrete ‚Felicitis‘ (VI 5.9.5, ed. Friedberg II 1091f.). NvK berief sich später auch hierauf zur Rechtfertigung des Interdikts; s.u. Nr. 5517, 5553-5555.